

FKR6. 18

II c  
1204

*De ludis Olympianis*

DECANVS  
ORDINIS PHILOSOPHI  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI  
**IO. GVILELMVS BERGERVS**  
POESIOS PROFESSOR PVBLICVS  
SAPIENTIAE ET INGENVARVM  
ARTIVM CANDIDATIS  
S. P. D





St genus quoddam ludorum, quod ab Hercule institutum, et ab Iphito instauratum, fertur, honori Louis Olympii dicatum, et quinquenniali, eademque tanto apparata studio, celebritate fieri solitum, ut veteris laudibus Graeciae, supra quam dici possit, effareretur. Vates, cuius os Thebas illuminauit, tanti facit, ut, qui e sacro hoc certamine superiores discesserant, eorum laudes, uerbis mandatas, posterorum memoriae tradat, et, cum Pythia, Nemea, Isthmia, eiusdem operis argumentum delegerit, Olympia ramen ex omnibus eminere credit, quantum inter elementa aqua, inter opes aurum, sol inter fidera, excellant. Quae quidem solemnium celebratio manauit latius, et Graecorum fines egressa, ad gentes transmarinas nomen ritumque protulit, ut, quae ad Olympiam, Elidos regionis opidum, coeperant Olympia, Smyrnae postea, Pergami, Alexandriae, et alibi, festi apparatus pompa ederentur. Ab Horatio Lucianus magna meminit Olympia, quo peruulgatum nominandi usum notione magis propria distinguit, et magnitudinis appellatione indicet illa, quae Pisae, seu, quacum haec, auctore Stephano, paria facit, Olympiae, ad Alpheum fl. fuisse, antiquitate praestiterunt, et fama terrarum orbem impleuerunt. Quo, accepimus, non solum Graeciam omnem, urbis et locis omnibus effusam, confluxisse, sed etiam Italiam, Siciliam, Asiam, Aegyptum, Syriam, Cyrenaicam, Libyam, ciues, athletas, et quadrigas, submisisse, inuitatis, et concurrentibus, ad spectaculi magnificentiam populis, quos longa itinerum interuala disiunserunt. Minora dixeris Olympia, quae apud Diennes Archelaum regem aperuisse, tradit Demostenis explanator, et Merae, atque Athenis, commissa fuisse, Graecus Pindari interpres obseruat. Maioris tamen dignitatis Olympia fuerunt Attica, solemini sacrificiorum festorumque dierum ceremonia, et insigni certaminum ornatu, celebrata, cum Athenis Louis Olympii fanum esset, quod antiquitus inchoatum, sub Augusto communi sumtu augere reges constituisse, sed perfectum tandem dedicatumque ab Adriano fuisse, Strabo, Pausanias, Dio, Plinius, Tranquillus, et Spartanus, testantur. Atque huic quidem Olympiae ludicro qui intererant, hi, quod inter omnes constat, caesu, cursu, saltu, disco denique et palaestra, exercebantur. Victorem quinque certaminum πένταθλον, et quinqueritionem, uocabant. Laborum, qui uicerant Olympia, praemium ferebant, in primis coronam ex oleastro, ut liquer ex Aristophane, Philone, Dione Chrysoftomo, Gregorio Nazianzeno, uel etiam ex olea, ficut ex Euripide, Pindaro, et Artemidoro, uel ex auro, ut ex eodem Pindaro, quidam cogunt. Operae pretium est e Vitruvio recordari, eum uictoriae fructum Olympionicas cepisse, ut in conuentu cum palma et corona stantes, laudibus cumularentur, et cum in suam quisque ciuitatem redirent cum uictoria, triumphantes in moenia quadrigis inueherentur, uictigalibusque, et republica confitutis, quad uitam producebant, perfruerentur. Hic si mirari subeat, quid tandem sit, quod uictores hos non trito portae aditu, sed deiecta demum muri parte, urbem curru iniisse, comperiamus: indicio fore, submonet Plutarchus, ciuitati muro magnopere opus non esse, viros habenti, qui pugnare iuxta ac uincere possint. Conseruudinem, Graecis in more positam, traduxit in Latium Nero, et reuertens e Graecia, Neapolin, diruta parte muri, albis, teste Tranquillo, equis introit, similiter ac Romanum ipsam, ubi triumphali Augusti curru, et in ueste purpurea, atque aureis distincta stellis chlamyde, et Olympicam capite coronam, dextra Pythiam, gestans, praeente pompa, et disiecto Circi maximi arcu, in Palatium contendit. Idem Hieronice, magno populi succlamentis excepti plausu, uulgo coronis, aliisque muneribus, donabantur, sparsis, quacunque incederant, floribus, et facibus praelatis, quemadmodum ex Eratostheni apud Scholiaстen Euripidis, Cl. Alexandrino, Dione, Xiphilino, et

Io. Chrysoftomo, licet, discamus. Modum excessit honoris opinio, quam esse tantam, contendit Cicero, ut quibusdam Olympiorum uictoria consulatus ille antiquus uideatur, et Olympioniken esse, fere maius ac glorioius apud Graecos habeatur, quam Romae triumphare. Iam optatis hominum ne reliqui quidem fiebat quicquam, cum uictores huius generis dignitate cum Diis exaequati, pro Diis haberentur, cuius rei Lucianus, Io. Chrysoftomus, et semel atque iterum Horatius, mentionem fecerunt. Nec uero his uiuis statuae modo Olympiae potissimum in luco Iouis ponebantur, iterum iidem etiam confreabantur, quod de Philippo Butacide filio, Crotoniensi Olympionica, Herodotus, ab eoque Eustachius, rerulerunt, mortui, et, quod plus admirationis afferat, uiui nonnunquam, ut de Euthymo, pugile Locrensi, Plinius commemorauit. Quo minus mirandum fuit, si parentes olim nulla re, quam palma filiorum, Olympii parta, fortunatores sibi uisi sunt, adeo ut Chilon Spartanus, dum uictorem Olympiae filium complectitur, prae gaudio animam efflasse perhibeat; et ueteres, si quidem uictoriam deportarent, clypeos, statuas aureas, et alia magni pretii dona, Deorum templis uouerunt. At enim quantae demum cunque laudi duxerit antiquitas, uictorem Olympiae citari: nos tamen triumpho illi tantopere non applaudimus, quin specimen eloquentiae a Georgia apud Pausaniam, historiae ab Herodoto apud Suidam, et dramatum a Xenocle atque Euripide apud Aelianum, ipsis Olympiorum solemnibus propalam datum, cum eoque illam demum palmae gloriam, quam doctrinae et uirtutis certamen impertitur, omnibus Olympionicarum praemiis longissime anteponamus. Etenim quanto maiores esse res iudicantur, quae animi, quam quae corporis, uiribus geruntur, et quanto difficilis semper est existimatum, sepius quam cattella et moenia quamlibet munita, hostes immanes, et barbaras effrenatasque gentes, superare: tanto profecto illustrior est fortitudo, qua caligo menti inducta, accenso illatoque doctrinae lumine, dispellitur, et exultantes arque indomitae libidines expugnantur. Graecum Graecis, ciuem ciuibis, iudicem dabo Atticum Oratorem, qui ipso diuini Panegyrici principio miratur, quid iis tandem in mente uenerit, qui, ludis Gymnicis iure constitutis, corporum habitus tantis dignentur praemii, eos contra, qui reipublicae studio priuatissimis capiant labores, et suos ipsorum animos, ut aliis prodesse queant, compararint, nullo prorsus honore putent afficiendos. Nimirum praecclare adiungit uir sapientissimus, licet pugilum robur conduplicetur, nullum tamen ex eo commodum ad alios redundare, cum unius uiri sapientia fruantur omnes, qui eius consiliis obtemperare uelint. Quales euadunt, qui a doctrinarum studiis et sciendi, et agendi, arrem discunt, neque in angusto illo sexcentorum pedum curriculo, uerum in immenso diuinae humanaeque scientiae orbe iactantur et desident, et contemplatione rerum maximarum cum Deo coniuncti, porori iure diuinatis fastigium proprius attingere putantur. Quo fit, ut, cum uictores illi non aliud iuerint, quam ut eorum nominibus non dubia Graecorum temporum ratio constitueretur, et, nisi de Olympionicis Aristoteles, Stefclides, Philochorus, Timaeus, ex iisque tot, qui suppetunt, alii, scribere instituissent, horum existimatio eadem columnarum ruina inuolueretur: hi contra, qui decus ingenii confessantur, exemplo sapientiae uiui mortuique profint, et factis, pariter ac monumentis, non sibi magis, quam aliis, testimonium laudis ad posteritatis memoriam feruare possint. Faceant igitur superbi Olympiorum uictores, et cum palmis suis, ubiubi fuerint, marcescant. Adepte uos, quicunque non laterum artuumue robore, quo firmiori beluae pollent, sed ingenii nervis, contenditis ac ualeatis. Saluete nobis ter, et amplius, qui praestantium cognitione artium imbuiuntis animos, atque ad maiores reipublicae usus praecolusisti. Bene nobis precamur, quibuscum nobis

res



FKTc 1204

X 300 S 606

VD 18

res est, o Boni, qui uirtutum studio inflammati, a sapientiae cultu medicinam mentis petiuntis, et integrare uitae, morumque sanctitate, cum Deo uos copulare studuitis. Ipsi Orlippi exemplo nudi, ut e Thucydide, et Homeri Pindarique scholias meminitis, congredecabantur et depugnabant, sed uiri cum uiris, qui pectus pectori, pugnum pugno, plagam plaga, excipiebant. Vos cum MINERVA VICTRICE, quam Caracallae, et Pescennini Nigri, numi uocitant, uel quam dicunt Graeci, Αθηνᾶς νύν, aduersus γρυπεῖς, quos nominat Euripides, seu, me quidem interprete, contra Gigantum monstra, monstris omnibus infestiora, insciatiam, inquam, et uitium, stetitis iniici, et per auspicato pugnastis. Minertiae, aiunt, auream olim lucernam integrum Athenis annum arsisse, quod scire Fort. Licetus explicauit. Non cara sit auro contra lucerna illa, cuius ignem non uno, sed tot annis, aliis tuis, quibus exsomnes doctrinarum meditatione noctes consumpsistiis, ne annorum quidem laboribus fracti, cum palaefritiae illi quinque dierum puluerem defatigationemque uix perferrent. Docet enarrator Sophoclis, in stadio, in quod ingrediebantur cursores, tres fuisse columnas: in quarum una, initio circi collocata, ΑΡΙΓΕΤΕ, in altera, medio posita, σΠΕΡΔΕ, in tertia, in extremo excitata, ΚΑΜΨΩΝ, inscriptum erat.

Hoc erat illud, quod in animis uestris insignitum, uos continenter admonebat, ut in imminutum eruditiois campum magnis animis immisisti, cursum sine intermissione industriae a carceribus ad calcem usque reueatis, nec prius, quam confecto merae spatio, inflexi usquam dimotue, et gloriae circa excedatis. Recogitare poteris e uersta Pindari explanatione, quotiescumque Megarae facta sint Olympia, moris fuisse, ut uictorum nomina per aedes columnis lapidis incidenterent. Ac secundum Dionem Chrysoftomum, scriptum reliquit Tranquillus, Neronem, nequa alterius Hieronicarum extaret memoria, subuerti, et unco trahi, abiicique in latrinas, omnium status, et imagines, iussisse. Vestra, credite mihi, disciplina, multis uigiliis curisque parta, non axis et lapidibus, sed famae temporum, et iis uos commendabit monumentis, quae omni marnore atque aere firmiora, nulla euertet hominum iniquitas, et ipsa nominis immortalitas defendet. Beati quondam uidebantur cursores, quorum capiti corona oleagina accommodarerur, fide Pindari et Etymologi M. uel, nisi memoria lapsus est Io. Chrysoftomus, laurus imponeretur. Beatores, ni abnuatis ipsi, estote, quibus, rite poteritis, ex auctoritate Senatus nostri, lauream, multo, quam in Parnassi iugis quaesit Plinius, spectatiorem, neque ulli exolefendi periculo obnoxiam, pariter cum tot ac tantis studiorum priuilegiis, pollicor, in illa praeferim Academia, quam uerius, ac Pindarus Olympiam, μητέρα χρυσοτεφάνων δέ θλων dictitetis. Vestrum neminem fugit, ante, quam coronaretur quisquam, inspectantibus, qui purpura fulgentes, Hellanodicarum et Agonothetarum nomine, certaminis praeledebant, arbitris decerrandum priscis temporibus, eosdemque prius, quam ferta caperent athletae, adeudos fuisse, quod Aelianus, idemque Etymologici artifex, declarant. Componite igitur, instruite, et ornate, uos ad eruditam ingenii contentionem, miliisque, percupido et acquiffimo dignitatis uestrae amplificatori, more maiorum date nomina, et exoptatum meriti fructum, ereatis ad spem animis, breui expectate. Laude non uacat, id quod ab Athenaeo memoriae proditum est, Agonistas Elide non minus, quam Athenis, ante, quam manum conferent, rem sacram fecisse, et felicem rerum exitum religione sibi procurasse. Adhibete, amabo uos, pietatis memoriam, et Deum, literarum propugnatorem, mecum comprecamini, ut honoribus, quos bene merentibus prolixe liberaliterque despondeo, fortuna diuinitus adiungatur. P. P. in ipso, quod in orbem feliciter redactum est, anniuerario Epiphaniorum facro, anno recuperatae gratiae c. 1. I. c. CIII

VITEMBERGAE APVD SAXONAS  
PRELO GERDESIANO

FK 126. 18

II C  
1204

de ludis Olympiacis

A color calibration strip featuring three colored squares (cyan, green, yellow) positioned next to a vertical ruler scale. The ruler scale is marked from 1 to 8, with horizontal lines extending across the page at each integer mark.

